

Bei dem unter Johann von Dalen begonnenen Umbau der früheren romanischen Kirche in eine gothische wird wahrscheinlich auch zu Doberan die Chorphatie zuerst in Angriff genommen sein. Für das Cistercienserkloster Pforta ist dies inschriftlich bezeugt (W. Corssen, Pforta 239.). Ebenso geschah es zu Zwetel (W. von Sacken, C. Heider und Eitelberger, Kunstdenkm. in Oesterreich II. 42.). Da Mittel reichlich vorhanden waren, lässt sich anfangs ein rasches Fortschreiten annehmen. Dann wird man an die Querflügel gegangen sein, und schon aus praktischen Gründen zunächst den südlichen in Angriff genommen haben. Ihn mussten die Brüder bei Tag und bei Nacht oft durchschreiten, um aus den Klosterräumen in ihr Bethaus zu den Stundenandachten und Messen zu eilen. Zu ihrer Feier ward sicher auch zu Doberan, wie zu Zwetel (a. a. O. 43), ein Theil der Kirche immer verfügbar gehalten. Klar bezeugt das die Urkunde (U.-B. IX. 6596. § 81.), wo es mit Bezug auf die Ereignisse am 27. November 1336 heisst: „Zur Nachtzeit, als der Convent nach gewohnter Weise die Matutin im Chore sang.“ Zur Bestimmung der Zeit, in welcher der nördliche Kreuzflügel mit seiner östlichen Abseite im Baue stand, dürfte das Grab Heinrich II. des Löwen von Mecklenburg einen Anhalt bieten.

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.)

De concordia simul et de discrepantia Romani et Monastici Breviariorum Disquisitio liturgica,

auctore R. P. Domno Beda Plaine, Monacho O. S. B. Congregationis Gallicae, et monasterii Locogiacensis.

Exordium.

A sancto Patre Benedicto, sapientissimo monachorum Occidentalium Legislatore, cursum seu laudis divinae ordinem, sapientia et discretione praecipuum sed a Romano sub aliquot respectibus diversum institutum fuisse multi apprime norunt eruditi viri et praesertim ordinis monastici alumni. Verum pauci ex eis, ni fallor, quibus e fontibus istum cursum hauserit noster sanctissimus Pater, in qua re cum romanis ritibus concursus inveniatur, in qua re ab illis diversus sit idem cursus investigare et evolvere satagerunt: quippe quae inquisitio a nullo hucusque, me conscio, tentata fuit saltem cum aliqua amplitudine.¹⁾ Idcirco hunc

¹⁾ De illa olim egit celeberrimus Amalarius, sed mystice tantum et non integre seu scientifice, V. Eccles. off. lib. IV. c. 48, quod caput pro prima et unica vice editum est in Veteribus Analectis Mabillonii et recentissime R. P. D. Suitbertus Baeumer eandem rem de novo tractavit (Studien etc. 1887, t. I. p. 1—18, 157—175) sed forsitan potius ut Regulae sanctae encomiastes quam ut aequus Romanum inter et monasticum ritum arbiter.

agellum, meliori modo quo mea potuerit pusillitas, excolere, operae pretium duxi. Hinc praesens tractatio, in qua omni studio et industria ostendere et authentice probare conabor: 1. Romanum inter et Monasticum cursum ubique concordiam et concentum adesse saltem substantiales; 2. nullam vero unquam accedere proprie dictam discordiam sed solummodo aliquas discrepantias: aliis verbis discrepantias, quae inter utrumque passim inveniuntur, nihil essenziale attingere et mere accidentales nuncupari posse

Quoad prioritatem in ordine temporis unius super alterum quot hodie apud doctos Germanos moventur plures quaestiones,¹⁾ eam alia die tractaturus, hic nisi obiter et per transennam attingam, supponens aliunde cum antiquis Liturgistis Romanum, omnibus jam **hodiernis Horis** constans, monastico antiquius esse cursum.

Aliqua tamen praemittenda mihi videntur de originibus Breviarii Romani et Monastici, ut ea quae subsecutura sunt melius intelligat lector. Similiter antequam concludam, ea, quae indubia videntur tum de usibus, quos S. Benedictus e ritu ambrosiano et ex antiquis cursibus monasticis deprompsit, tum de piis consuetudinibus, quae e monastico in romanum ritum transierunt, in unum colligentur et breviter exponentur.

His peractis, si benedictionem suam meis conatibus Deus infundere dignetur, aliquid forsitan commodi et utilitatis e praesenti tractatiuncula proveniet et conferetur ad profectum studiorum quae pro objecto habent Antiquitates liturgicae Ecclesiae Romanae ac praecipue monastici ordinis, cujus licet indignus, alumnus sum et vocor.

Hoc est meum propositum, hic unicus meorum praesentium studiorum scopus et finis.

Articulus primus.

Pauca de originibus Romani et Monastici Breviarii.

Breviarii Romani Origines, sicut omnia quae a primitivis Ecclesiae temporibus descendunt, multis obscuritatibus et tenebris involvuntur Verumtamen ex Actibus et Epistolis Apostolorum, ex Passionibus martyrum et aliis documentis primaevae antiquitatis ecclesiasticae liquido probatur quod ipsimet primitivi Christi fideles Hierosolymitani, Romani et alii frequenter inter se pios conventus faciebant non solum pro fractione panis coelestis, quae tunc temporis, sicut hodie, centrum et apex totius Liturgiae habebatur, sed etiam pro cantu psalmodiarum, hymnorum et canticorum spiritualium²⁾ id est, in hoc posteriori casu, pro quodam laudis divinae officio, quod erat

¹⁾ Pro prioritatem strictim intellecta Breviarii monastici certant R. P. Baeumer jam citatus, Dominus Pleithner in opere: Aelteste Geschichte des Breviergebetes etc. (1887) Bickell, Kaysers et alii; sed aliter opinati sunt antiqui Liturgistae.

²⁾ Coloss. III. 6, et alibi passim.

quasi quaedam nostri hodierni inchoatio et praeparatio. Jam enim psalmis seu hymnis et canticis addebatur ante dimissionem aliqua oratio seu collecta in qua omnium adunabantur et resumebantur vota et preces fidelium. ¹⁾

Quae consuetudo simplex et uniformis per tria saecula forsan seu usque ad tempora Constantini et pacis ecclesiae ac etiam ultra vigere potuit, testibus SS. Athanasio et Augustino. ²⁾ Sed nihilominus longe ante dies dicti Augustini ³⁾ jam fuerat institutus in Oriente cantus alternativus seu duobus distinctis choris, qui multum etiam divulgatus est in Occidente, cura et opera praesertim SS. Ambrosii et Coelestini. ⁴⁾ Circa idem tempus, lectionum usus initium sumpsit, et sat breve post tempus, ubique vim habuit legis ex decreto Concilii Laodicensis inter annos 350—370 habiti. Porro versus et responsoria maximam habent connexionem cum lectionibus saltem prolixis. Unde eorum usus eodem tempore inchoare debuit, ut videbitur inferius.

Idem etiam dicendum est de hymnis saltem pro plurimis Ecclesiis Occidentalibus, Romana tamen excepta, ut dicetur similiter in paragrapho speciali.

Quae quum ita sint, asseri potest ordinem divinae laudis, uno vel duobus ad summum saeculis post pacem Ecclesiae datam, mira jam varietate et splendore rituum multis in provinciis praefulsisse. Ecclesia Romana speciatim possidebat, ni fallor, exeunte saeculo quinto, post labores et instituta SS. Damasi et Hieronymi, Coelestini et Leonis, Gelasii et aliorum uberem dominicorum et ferialium ac etiam festivorum segetem officiorum, in quibus harmonice intexebantur lectiones et responsoria, versus et antiphonae, ac praesertim psalmi et cantica, ita ut haec officia, si adfuissent hymni, nostris hodiernis paria forsan essent et aequalia.

Hinc S. Gregorius Magnus, uno saeculo posterior, haec officia, jam redacta et luculenter concinnata, sedulo collegit, et mirifice coordinavit ac etiam cantuum melodia ornavit, pauca vero de suo penu conscripsit praecedentibus addenda. Haec sufficiant de originibus Romani Breviarii; nam ejusdem fata et varias per saecula vicissitudines conscribere non est mei propositi.

Quod attinet ad Breviarium monasticum non est adeo, meo saltem iudicio, antiquum, ut iisdem involvantur obscuritatibus ejus origines.

¹⁾ Confer Thomasii Praefationem in Psalterium Antiquum Romae 1697; item R. P. Baeumer, Studien Jahrg. 1888, t. 2, p. 286—290.

²⁾ Athanas. Homilia de fuga sua, Nr. 2; Augustin. Confess. lib. X. 33.

³⁾ Gavantus et Merati. Commentar. in rubricas breviarii. VII. cap. 7.

⁴⁾ Concilia Edit. Labbé-Mansi, t. I. c. 1530, can. 17.

Etenim sanctissimus Pater noster, Deo inspirante, conscripsit sexto inchoante saeculo, Regulam Monachorum, quae mox, ut vitae perfectae codex praecipuus et cui par alius non erat, ubique propagata et amanter accepta, disciplinae monasticae instaurationem induxit, novaeque monachorum initium dedit militiae, cujus ardenti zelo, laboribusque plurimis apostolicis, Christo conversae sunt innumerae gentes ac mundi facies mutata. Porro sapientissimus ille Legislator, qui nihil operi Dei praeponi volebat, tredecim consecutiva Regulae capitula, ad ordinandum qualiter hoc divinae laudis officium a suis discipulis persolveretur, unice dicavit;¹⁾ ex qua ordinatione prodiit Monasticum Breviarium de quo loquimur. Idem vero S. Benedictus, quum esset omnium justorum spiritu plenus,²⁾ sapienter opinatus est quod sicut a clericali diversa erat familia quam aggregare volebat, diversus similiter debebat esse, saltem sub aliquo respectu divini operis ordo, cui persolvendo sui addicerentur alumni. Idcirco res plurimas una mutuatus est noster Legislator tum a ritu Romano, tum a ritu ambrosiano, ac etiam ab antiquis Patribus vitae monasticae. Inde ortae sunt, ut reor, plures Romanum inter et Monasticum cursum discrepantiae; quae tamen nunquam substantiam rerum attingentes, simpliciter accidentales, ut jam dixi, nuncupari debent, ita ut non obstent quin substantialis inter utrumque semper remaneat concordia et concentus.

Sed jam tempus est inquirendi, primo, in quibus rebus consistat haec concordia, et deinde quales et cujus generis sint discrepantiae, quae inter Romanum divinae laudis ordinem et liturgica Monachorum Occidentalium Patriarchae instituta inveniuntur.

Articulus secundus.

Concordant saltem substantialiter Romanus et monasticus cursus.

Certitudo assertionis in hujus articuli titulo expressae a pluribus forsitan prima fronte denegabitur, scilicet ab iis qui, Psalterium Breviarii solummodo inspicientes, omnia fere diversa esse Romanum inter et monasticum Breviaria putant et asserunt. Sed ipsi rebus accuratius consideratis, aliter opinabuntur, ut spero, meaeque tunc sententiae firmiter adhaerebunt.

Etenim, si animadvertimus a S. Benedicti discipulis fere immediatis in Angliam transeuntibus Romanam cultam, fuisse Liturgiam in celebratione Missarum, in administratione sacramentorum, et

¹⁾ Regul. S. Benedicti, cap. VIII.—XX.

²⁾ S. Gregor. Dialog. lib. 2, VIII.

pluribus aliis functionibus ecclesiasticis ¹⁾ ad opinandum ab ipsomet Patriarcha eandem Liturgiam in ordinando suo divinae laudis opere tanquam adminiculum et exemplar habitam fuisse, facile adducemur.

Imo ordinamenta liturgica S. Benedicti, licet mirum in modum clara, praecisa, et sub aliquo respectu extensa, non tamen ad omnia et singula ita extenduntur ut nihil essenziale in eis desit. Nam in eis non agitur de calendario, sine quo tamen impossibilis redditur celebratio quotidiana officii divini, festivitatum sanctorum et solemnitatum annualium, quamvis res expressa praecipiat a Sancto Legislatore. ²⁾

Mentio similiter non invenitur de officio defunctorum, de octavis festorum et de multis aliis rebus analogis.

Insuper loquens sanctissimus Pater tum de canticis propheticis matutinalibus tum de duobus canticis evangelicis Laudum et Vesperarum, eorum locum, et genus speciatim non determinat sed simpliciter asserit in uno ex his casibus psallendum esse sicut psallit Ecclesia Romana. ³⁾

In hoc rerum statu asserendum esse puto alium ordinem divinae laudis magis completum pro lege habitum fuisse apud Montem Cassinum, quoties nihil ei contrarium expresse praescripserat S. Benedictus. Porro quis esset hic ordo tam perfectus et tanta pollens auctoritate, ut vim ubique haberet legis nisi ordo romanus? Res sat clare patet, ex praecedenti consideratione, sicut ex ipsa sanctissimi Patris jam allegata attestazione. ⁴⁾

Post haec duo argumenta, quorum utrumque potius est extrinsecum quam intrinsecum, siquidem non attingit ad ipsammet concordiam utriusque officii romani et monastici, nunc tertio loco incipiam ostendere, qualis sit haec interna concordia et ad quasnam res extendatur.

Primo quidem adest identitas absoluta inter utrumque cursum in partitione officii diurni in septem Horas, officii vero Noctis in tria nocturna pro qualibet die dominica seu festiva, sicut etiam pari modo in utroque cursu assimilantur officiiis dominicalibus festiva officia Sanctorum et solemnitatum annualium. ⁵⁾

Similiter nullo modo diversa sunt in utroque Breviario mysteria numerorum, quae tanti momenti habentur in oeconomia officii divinae laudis. Haec materia prolixis commentationibus locum facile daret, sed ab his abstineo, brevitatis gratia. Pauca mihi sufficiant verba. In

¹⁾ Guéranger: Institut-Liturg. (Edit. Palmé) t. I, p. 207—208.

²⁾ Regula S. Benedicti, XIV et alibi.

³⁾ Ibid. XIII.

⁴⁾ Ibid.

⁵⁾ Ibid. XVI., XIV. etc.

Breviario Romano hujus generis numeri, quibus alluisse frequentius videntur ordinatores officiorum, sunt sequentes: tres, quinque, novem, et duodecim. Tres adsunt psalmi in unoquoque nocturno et in Horis diurnis; tres nocturni, tres lectiones, tria responsoria; quinque vero computantur psalmi in Laudibus et Vesperis in honorem quinque vulnerum Salvatoris crucifixi; novem autem sunt numero psalmi, antiphonae, lectiones et responsoria in Vigiliis nocturnalibus festorum per annum in honorem et putatur novem chororum Angelorum; duodecimum tandem numerum attingunt psalmi in Vigiliis Dominicarum et feriarum, ad honorem duodecim Apostolorum et Prophetarum.

Porro iidem inveniuntur in cursu monastico numeri, excepto solo nono, qui aliunde nihil aliud est quam tertius triplicatus; quod si insuper numeri quatuor et sex ut proprii perfectorum et contemplativorum, frequenter adsunt apud monachos, scilicet sextus numerus pro Psalmis in quolibet nocturno feriali et in duobus primis nocturnis Dominicarum et festorum; quartus vero pro lectionibus et responsoriis, neque etiam dicti numeri deficiunt in officio clericorum: nam in eorum cursu sex sunt antiphonae pro nocturnis ferialibus; quatuor vero psalmi quotidie psalluntur ad Completorium et frequenter ad Primam etc.

Quinto et ultimo concordia saltem substantialis Romani et Monastici cursuum, de qua agitur, liquidius adhuc et forsitan ineluctabilius vindicari potest ex eo quod uterque ex iisdem constat harmonice et uniformiter dispositis elementis, scilicet psalmis et canticis, lectionibus et responsoriis, antiphonis et versibus; quae omnia olim sicut hodie sunt communia utrique cursui, ut omittam hymnos; nam tempore Sancti Benedicti, secundum communem et veram eruditorum sententiam Ecclesia Romana non adhuc eos receperat. Porro negari non potest aliam talem elementorum identitatem et talem in eorum coordinatione uniformitatem in nulla Liturgia sive orientali, sive occidentali, minime inveniri posse. Cujus tamen assertionis veritas, ut melius pateat, animadverti adhuc potest in ultimo loco clericos et monachos per plura saecula iisdem libris liturgicis usos esse, scilicet Gregorianis Antiphonariis, Gradualibus, et Responsorialibus, testibus Hugone Menardo, B. Josepho Mariae Tomasi et aliis editoribus monumentorum antiquorum Liturgiae Romanae, qui a coenobiis nostri ordinis optimos et melioris notae deprompserunt codices.

Rebus sic stantibus, identitas seu concordia saltem substantialis Romanum inter et monasticum cursum in dubium revocari nequit; aliis verbis, S. Benedictus nunquam in ordinando Monachorum cursu, substantialiter a Romana consuetudine dissensit, ut jam dicebant Durandus Mimatensis et alii medii aevi liturgistae. ¹⁾

¹⁾ Rationale divinor. officior. V. c. 3 n. 32.

Verumtamen ille etiam a veritate discederet, qui nullam inter utrumque adesse discrepantiam opinaretur et assereret. Nam de facto plura sciens et volens aliter ac Romani ordinavit Monachorum Legislator, de quibus et eorum rationibus nunc mihi inquirendum incumbit.

Articulus tertius.

Praecipuae Romanum inter et Monasticum cursum exponuntur discrepantiae.

Discrepantiae, quibus Monasticum a Romano secernitur officium divinae Laudis, pro objecto habent tum Psalmorum divisionem et eorum inter septem hebdomadae dies distributionem, tum numerum Lectionum, Responsoriorum et Antiphonarum, tum etiam modum inchoandi et finiendi diversas Horas officii divini, et quaedam alia similia.

De iis singillatim agam, inchoans tamen a partitione Psalterii, quae majoris est procul dubio momenti, et forsitan aliquot aliarum, ut principium et ratio potest haberi, discrepantiarum.

§. 1. De Partitione Psalterii.

Jam supra ostensum est quomodo, apud primos christianos sicut olim apud Judaeos, divinae laudis ordo unico fere psalmorum cantu constaret. Scimus insuper apud antiquos Patres et viros sanctos primorum Ecclesiae saeculorum versatum fuisse in magno honore usum Psalterii ex integro quotidie persolvendi.¹⁾ Nam Psalmi ex Patrum sententia nihil aliud sunt quam totius Scripturae summarium et Theologiae quasi consummatio.²⁾ Porro Davidici centum quinquaginta Psalmi ita partiti sunt in utroque romano et monastico cursu, ut omnes inter varia septem hebdomadae feriarum seu dierum officia distribuantur, et sic ex integro per unamquamque hebdomadam expendantur. Quae duplex partitio, licet non uniformis sub omni respectu, tanta tamen perfectione gaudet, ut prior pro clericis, posterior pro monachis fere unice vim habuerit legis usque ad decimum octavam saeculum, nulla alia admissa, saltem in Occidentali Ecclesia, praeter Gothicam et Ambrosianam, quae in paucis locis vigeant.

Quoad tempus, quo romana Psalmorum distributio fuit elaborata, res ob altam ejus antiquitatem obscura aliqua ex parte remansit. In medio aevo adscribebatur SS. Damaso et Hieronymo.³⁾ Forsan non est adeo antiqua ista partitio sed eam saltem antiquioram esse S. Benedicto videtur, siquidem de ea ipsemet expresse, ut puto, loquitur quando psallere suis praecipit: sicut psallit Romana Ecclesia.

¹⁾ Regula S. Benedicti XVIII.

²⁾ Bona: De divina psalmodia cap. XVI. S. XI. N. 3.

³⁾ Gemma animae lib. 2, c. 17, 65 etc.

Aliunde sufficit meo proposito inquirere tum in qua re concordant, tum in qua re dissentiunt Romana et Monastica Psalterii distributiones.

Porro ante omnia patet eundem finem ab ordinatoribus utriusque quaesitum et obtentum fuisse, scilicet ita isti partiti sunt centum quinquaginta psalmos davidicos, ut totum per hebdomadae circulum decantaretur Psalterium, dum juxta ritum Ambrosianum et alios decem dies vel amplius ad idem explendum concedantur. Secundo in utraque partitione Psalmi nocturnales sese extendunt usque ad centesimum octavum, qui est Judae proditoris propheticus; Vespertini vero inchoantur a centesimo nono, qui tam magnificis laudibus extollit novi testamenti Pontificem secundum ordinem Melchisedech et finiunt in centesimo quadragesimo septimo. Insuper idem est psalmus Invitatorius, iidem sunt Psalmi completorii, eadem evangelica cantica Laudum et Vesperarum, eadem quoque cantica prophetica Laudum; in multis etiam concordant Psalmi Laudum et Horarum.

Nunc de discrepantiis inter utramque divisionem agendum est.

Prima discrepantia. In primis advertendum est ordinatorem divisionis Romanae hanc sibi firmam statuisset legem ut nullum Psalmum, praeter centesimum decimum octavum, divideret. Idcirco omnes de more unus post alium psalluntur, et unusquisque pro uno computatur. Ipse etiam Psalmus centesimus decimus octavus, qui alphabeticus est et octo pro unaquaque littera constat versiculis, quotidie integraliter distribuitur inter quatuor Horas diurnas, quod ut obtineatur, duae litterae semper uniuntur ad constituendas divisiones sexdecim versiculorum. Ex hac agendi ratione duo sequuntur incommoda, non modici momenti, praesertim apud viros vitae regulari et labori quotidiano manuum addictos: scilicet ferialia festivis prolixiora fieri officia; diversarum vero officia feriarum nimis esse inter se inaequalia. Sic officium feriae tertiae a dimidio minus est officii feriae quintae et sabbati, ne quid dicam de officio dominicali, quod in solis vigiliis decem et octo psalmis constat. S. Benedictus, cujus discretio tam jure merito ab omnibus laudata est, hoc duplex incommodum vitandum esse judicavit. Quocirca, nullo modo officii breviandi desiderio succensus, ut serius Quignonesius et Galli novatores, nec immoderatam Psalmorum sectionem sed aequam tantummodo requirens, Monachorum Legislator, tanquam regulam firmam sibi statuit Psalmos prolixiores in duas, non ultra dividendos esse sectiones, dum e contra, ejusdem rei causa, centesimus decimus sextus qui tam parvus est ut duobus tantum versiculis constet, praecedenti uniretur.¹⁾ Hinc contingit primo, ut apud Monachos, vitae regulari et operibus manualibus tunc temporis addictos, ferialia officia, in quibus labori manuum vacare licitum est, ac etiam jubetur, minus prolixa sint officii festivorum dierum, in quibus idem labor prohibitus manebat.

¹⁾ Regula S. Benedicti c. XVIII.

Contingit secundo, ut apud eosdem officia diversarum feriarum sint fere aequalia, ac proinde consueto ordini exercitiorum regularium nunquam multa perturbatio afferebatur.

Secunda discrepantia. Parvae Horae in cursu Romano sese uniformiter quotidie habent, nullam fere variationem admittentes, ita ut octo solummodo Psalmi in iis persolvendis expendantur, scilicet vigesimus primus et quatuor sequentes, cum quinquagesimo tertio, centesimo decimo octavo, et centesimo decimo septimo alternatim cum nonagesimo secundo. Haec ordinatio aliunde mysteriorum plena est multumque apta fovendae pietati et amoris legis divinae nam centesimus decimus octavus psalmus plenus est sanctis moribus, ait Amalarius.¹⁾ S. Benedictus ab ea nihilominus discedere coactus, tum ut numerus Psalmorum nocturnalium retineretur, tum forsitan ut labor manuum minus impediretur, assignavit more Romano Psalmum centesimum decimum octavum Parvis Horis, non tamen exclusive seu uniformiter, sed alternatim cum novem primis Psalmis gradualibus et quibusdam aliis.²⁾ Aliunde Sanctissimus Legislator dictum Psalmum centesimum decimum octavum qui alphabeticus est, ut jam dixi, dividens juxta ipsius Psalmi naturam in octonaria, seu per litteras, viginti duas divisiones obtinuit; quorum tredecim priores attribuit officio dominicali, novem vero posteriores officiis Tertiae, Sextae, et Nonae feriae secundae. Ad officium vero Primae feriae secundae et aliarum usque ad sabbatum inclusive assumuntur secundum ejusdem S. Benedicti instituta Psalmus primus et sequentes usque ad decimum nonum, demptis tertio, quarto et quinto, qui alia loca obtinent, ita ut Vigiliae Noctis Dominicae semper inchoantur a vigesimo, qui est propheticus triumphalis Resurrectionis et Ascensionis Domini nostri Jesu Christi.³⁾

Tandem ordinavit S. Benedictus novem priores ex Psalmis gradualibus esse adhibendos pro Tertiae, Sextae et Nonae officiis feriae tertiae et sequentium usque ad sabbatum inclusive, forsitan ut facilius memoriter persolverentur in agris, et sic labor manuum minus impediretur.⁴⁾ Unde fit ut viginti et sex Psalmi pro officio Horarum diurnarum expendantur. Vesperis autem, loco quinque Psalmorum cursus Romani, quatuor tantum attribuit idem Legislator, ideo forsitan quod hunc numerum, utpote perfectorum proprium, praediligeret.⁵⁾

His elucidatis de Psalterii romani a monastico diversitate, quae praecipua est inter discrepantias utriusque cursus: nunc de caeteris tractemus, et primo de iis quae circa modum ordinandi Vigiliis nocturnas versantur.

1) Amalarius: Dd ecclesiast. offic. IV. c. 48.

2) Regula S. Benedicti XVIII.

3) Ibid.

4) Ibid.

5) Ibid.

§ 2. De modo ordinandi Vigiliis nocturnas.

Licet in modo adunandi et coordinandi diversa elementa, quibus constat unaquaqueque divini officii Hora, plerumque sese uniformiter, ut jam dixi, habeant clerici et monachi, haec tamen uniformitas non ad omnia et singula extenditur. Ita quidem in modo ordinandi Vigiliis Nocturnas, quatuor adsunt discrepantiae, de quibus nunc breviter tractandum est.

In primo loco, S. Benedictus, ut pater providus et prorsus misericors, decrevit ut Vigiliae nocturnae et Laudes matutinae non inchoarentur, nisi praemissis duobus psalmis, tertio scilicet et sexagesimo sexto, qui supererogatorii et ad misericordiam vocari possunt; nam praevis statuuntur et non obligatorii, ita ut qui difficillime e somno surgentes non possunt nisi sarde ad oratorium accedere, ad nihil teneantur, si defuerint huic psalmodiae parti.¹⁾ Aliunde isti duo Psalmi sapientissime huic loco assignantur, scilicet post somnum tertius, in quo dicitur: Ego dormivi et soporatus sum; ante Laudes vero sexagesimus sextus in quo omnes populi et gentes ad laudandum Dominum expresse invitantur.

In secundo loco, S. Benedictus, cujus tam nota est discretionis fama, quum praesentiret ex illo duodecim Psalmorum prolixorum cantu successivo et non interrupto, quem tenet Ecclesia Romana in Vigiliis ferialibus, aliquam mentis et corporis frequenter orituram esse defatigationem, provide unico clericorum nocturno duplex substituit pro monachis, ita ut sex primorum Psalmorum cantui succederent lectiones et responsoria tanquam Psalmodiae interruptio et solatium mire efficax: quo accedente dehinc sex aliorum Psalmorum cantus cum novo ardore pietatis pro secundo resumeretur nocturno, quod postea, ne fratrum praeceptis et insolita fieret dimissio, eodem tenore ac uniuscujusque Horarum diurnarum officium concludendum sapientissimus decrevit Legislator.²⁾

Tertium in Vigiliis agendi modum, ab usu Romano diversum, simili impulsu discretionis et pietatis paternae motus, instituit S. Benedictus. Etenim cum adverteret noctes in aestate brevissimas esse, praematura vero hora solem ardere et incalescere, judicavit fore ut si tunc temporis eodem tenore ac in hieme nocturnum produceretur officium, monachi, qui omnes manualibus operibus in ejus diebus erant dediti, non possent ad labores agrorum occurrere, nisi qua hora jam dictus labor per solis ardorem prohiberetur. Cui incommodo ut obviaretur, provide subtraxit tum prolixas Lectiones et Responsoria primi nocturni, tum antiphonas secundi nocturni, quarum loco ultimarum simplex Alleluia posuit, et prolixis hiemis lectionibus substituit lectionem tam

¹⁾ Regula S. Benedicti IX, XIII, XLIII.

²⁾ ibid. IX, X etc.

brevem ut memoriter facile dici posset.¹⁾ Sed ad intelligendum quanti pretii esset haec sapientissimi Patris indulgentia, necesse est ut recordemur lectiones Vigiliarum ineunte sexto saeculo et longo tempore postea fuisse multo nostris hodiernis prolixiores, ita ut per suppressionem de qua agitur una hora fere integra, ni fallor, ex officio divino ablata, labori manuum concederetur.²⁾

Porro aliunde huic officii ferialis breviationi dignam compensationem ita adjunxit sanctissimus Monachorum Pater, non minus ardore pietatis et zelo divini honoris succensus, quam discretionis spiritu praecipuus ut inde quarta oriatur discrepantia. Voluit ergo Sanctus Benedictus Vigiliis nocturnas in Dominicis et festis, seu quibuslibet solemnitatibus, majorem forsitan apud Monachos ac in officio clericorum induere splendorem. Quocirca Monachorum legislator loco novem psalmodiarum, lectionum et responsorium, quae aequaliter et uniformiter in cursu romano inter tria dividuntur nocturna, scilicet tres pro unoquoque psalmi, lectiones et responsoria,³⁾ statuit primum et secundum nocturnum in suo cursu nunquam expleri posse quin cantentur duodecim psalmi sicut in feriis, cum octo lectionibus et responsoriis, tertium vero ut quatuor lectiones et responsoria pariter comprehenderet, constaret insuper non solum tribus canticis, loco psalmodiarum, ex prophetis desumptis, sed etiam hymnis Te Deum laudamus et Te decet Laus, cum aliquo Evangelio et collecta finali.⁴⁾

De Canticis propheticis dicitur infra in § speciali; nunc aliquid de Te Deum laudamus et sequentibus.

Utrum Te Deum, sublime canticum istud, quo frequenter hodie utitur cursus romanus, jam Romae similiter ineunte saeculo sexto fuerit in usu, controvertitur inter eruditos, sed opinio negativa ampliori probabilitate gaudet, ex eo quod, tria post saecula, idem canticum adhuc non innumeretur nisi in festis confessorum Pontificum⁵⁾ in memoriam forsitan SS. Episcoporum Ambrosii et Augustini, quibus vulgo attribuitur. Ab undecimo vero admittitur in omnibus festis et dominicis novem lectionum, non tamen absolute eodem modo ac in officio monastico, nam in Adventu et Septuagesima, apud clericos penitus omittitur utpote canticum laetitiae, dum de hac circumstantia non curans S. Benedictus, illud indifferenter omnibus adscripsit Dominicis, quia Dominicae dies omnes, in honorem Resurrectionis laetitiae deputantur.

Quoad cantum Evangelii et eorum quae sequuntur, ritus ille est hodie ut olim, monachorum proprius. Verum ex eo quod

¹⁾ Regula s. Bened. X.

²⁾ Quod patet ex antiquis usibus Cluniacensibus et aliis, ubi inter alia animadvertitur, quod Geneseos liber unica hebdomada integraliter legebatur.

³⁾ Regula s. Bened. XI, XIX.

⁴⁾ Ibid.

⁵⁾ Amalar. De Ordine Antiph. Prologus.

hymnus Te decet laus desumatur ex Constitutionibus apostolicis,¹⁾ lectio vero Evangelii apud Cassianum notatur pro sabbato et Dominico die,²⁾ sat clare patet nil etiam hic novi a S. Benedicto excogitatum fuisse, sed omnia ex antiquis consuetudinibus desumpta fuisse. Quod si revera Benedictus hunc ritum primus introduxisset, talis adinventio in ejus prorsus laudem, non in vituperationem vergere deberet, ob splendoris incrementum, quod ex eo huic officii divini accedit parti.

§ 3. De Hymnis et Canticis.

Post Psalmos, Hymni et Cantica praecipuam, ni fallor, efformant Laudis divinae operis partem, ratione decoris poetici, qui in eis respundet, ac etiam ratione melodici cantus, qui ea comitatur, mirificeque exornat. Porro hic sicut in Psalmorum distributione, quamvis S. Benedictus e romano ritu plura deprompserit, ab eodem tamen ritu in pluribus discedit. Ita, dum tribus evangelicis fruitur canticis Cursus Romanus, nempe Cantico Zachariae in Laudibus, Virginis Mariae in Vesperis, ac etiam cantico Simeonis in Completorio, duo prima admittit³⁾ Sanctissimus Monachorum patriarcha, de tertio vero silet, quae de causa nescitur, nisi forsitan ne detur minimae Horarum diarnarum et cui nunquam competit solemnitas, idem decor ac duobus praecipuis, quae semper sunt solemnes. Aliunde si ex parte Canticorum evangelicorum inferior est ritus monasticus, longe superior evadit ex parte Canticorum prophetiorum. Etenim Liturgia Romana, septem tantum cantica prophetica in usum deducit, scilicet ea quae in Laudibus septem dierum hebdomadae canuntur; sanctus vero Pater Benedictus, desiderio impulsus melius nota faciendi ad aedificationem suorum alumnorum, tam sublimia divinae Laudis praeconia, aliam, ut jam dixi, inivit viam, id est, nihil de Canticis Laudum Romae consuetis detrahens pro officio Laudum, decrevit insuper ut tertia Vigilia noctis in quolibet officio dominicali seu festivo, trium ex Prophetis desumptorum canticorum cum melodia decantaretur.⁴⁾ Imo eodem ardore pietatis impulsus, minime contentus iis Canticis ex utroque Testamento desumptis, aditum aliis Canticis humanae artis industria compositis aperuit; de hymnis loquor, quos S. Benedictus ante vel post Psalmos secundum diversas Horas decantari jussit.⁵⁾ Sed quid? Nonne sic agens sese novitatum amatorem exhibebat? Nullo modo. Nam licet ineunte saeculo sexto usus hymnorum apud Romanos fuisset adhuc ignotus, res aliter tamen habebatur apud

1) Constit. Apostolic. VII., II.

2) Cassian. De Institut. II., 6.

3) Regula S. Benedicti XII., XIII., XVII.

4) Ibid. XI. et XIV.

5) Ibid. IX.—XVIII.

Mediolanenses, Gallos et Hispanos, qui omnes hymnis utebantur in officiis divinis ex praecepto plurimum synodorum provincialium. Ab omni desiderio novitatis ipse monastici cursus ordinator adeo remotus erat ut hymnum Ambrosianum nuncupet testificans tali verbo, secundum Amalarium, se eos a S. Ambrosio mutuatum fuisse.¹⁾

Addendum est ad honorem S. Benedicti, quod posterius circa undecimum et duodecimum saeculum Ecclesia Romana quae nihil immutavit in usu Propheticoꝝ Canticorum, forsitan ne simul mutationi obnoxia foret Psalmoꝝ distributio, aliam rationem agendi iniens circa hymnos, eos in officiis divinis partim primitus et brevi post tempore integraliter admisit ad instar monachorum, ut patet ex eo, quod recepti sunt dicti hymni juxta eundem numerum et ordinem ac S. Benedictus praeceperat in sua Regula monastica.

Discrepantiis hujusmodi sic elucidatis, de lectionibus et responsorii nunc agendum est.

(Continuabitur.)



¹⁾ Amalar. De ecclesiast. offic. IV., cap. 48.